Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1223
Quelle:
Copyright:

tairii Annalib. meoque *Supplemento* praesto sunt.

Codicem utrinque interne convestiunt Membranae hebraicae Fragmenta e *Levitico* de Sacrificiis ab elegante penna sine punctis exhibentes; sed enim difficilem accessum mucor facit.

DXXXI.

R. 3240 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 357. 8. minutissimo, sed nitidissimo charactere per duas columnas exaratus, coloribus illustratus, et olim cum *Bibliothecae Civicae*, tum *Collegii S. J. Vindobon.* Commentarius est in *LL. IV. Sententiarum Petri Lombardi*, seu potius Opus easdem materias eodem ordine, sed aliter pertractans, cujus Prooemium init: *Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium. Sicut enim uera dilectione diligitur deus propter se ipsum super omnia. ita uera fide aquiescitur prime ueritati super omnia propter se.* &c. Autoris nomen a prima manu toto Codice non occurrit; sed ab alia *fol. ult.* p. 2. legitur: *A fratre wilhelmo de Militona ordinis fratrum minorum Et Magistro Theologie compilatum opus 4^or^ librorum correspondenter ad 4^or^ sententiarum libros qui doctor allegatur in summa agstensi* (l. Astensi, nempe F. Astexani) *de elemosina. Ibi vide libro 6to* (l. quinto) *titulo 26to.* Et bis quidem, nempe *Art.* 5. et 8. Jam si Notae huic fides, duo nova, ab aliis nondum observata haberemus Opera *Guilelmi de Middletown* non Dominicani, ut quibusdam creditum, sed Franciscani, de quo jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 320—22. mentio fuit. Primum quidem praesentem Tractatum *Dogmaticum*, dein Summam quandam *Moralem*; cum enim ea, quae Sodalis ejus *Astexanus* ex eo refert, in Tractatu praesenti L. IV. ubi de *Eleemosyna foll.* 323—24. agit, non habeantur; manifestum est, ea ex alio Tractatu perinde nobis incognito petita fuisse, nisi dicas, illa latere in ejus Commentario *in Epistolam ad Rom.* quem nunquam vidi, quamvis Summistarum usus non fuerit Commentatores Biblicos compilare. Accedat igitur Subplementum istud ad ea, quae *Waddingus*, *Quetifus*, *Caveus*, *Fabricius* (*Tannerus* enim *Guilelmum* penitus omisit) adnotavere. Solus *Oudinus*, dum T. III. *col.* 217. e *Thomasini Catal. Mss. Patavinor.* inter Commentatores in *Libros Sententiar.* Nostrum numerat, haeret, an id de Subplemento, quod in *Alexandrum Halensem* condidit, an de proprio Commentario intelligi debeat. Posterius verum esse, Codex noster demonstrat.

DXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 690 XIV. Folior. 251. f. per duas columnas minutius multis compendiis exaratus et coloribus distinctus sequentia ad Theologiam scholasticam pertinentia complectitur: I. Commentaria in L. I. *Sententiar.*